



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXVI. Fœminarum imperia, sed rarò admittenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Heredita-
rius minu-
exigit.

Tyrannidem in omni imperii genere timeri su-
pra dixi; etiam hoc addidi: Electum principem
plus causae habere, ut principatum mutet in tyranni-
dem, quam is, qui iure hereditario imperat; alter
enim avidius tondet, & deglubit, iam abiturus, al-
ter sequentis etiam anni prouentum expectat, inse-
ritque pyros nepotibus carpendas.

Virtus non
est sperare
mercedem
recte facto-
rum regni.

§. 19. At tertio, aiunt, Electione virtutibus cam-
pū aperiri. Primò, quot sperare possunt? Ex centum
myriadibus vix vnus imperat, deinde quæ virtus est,
regnum sperare virtutis mercedem? Simulatores,
& purpuræ candidatos, spes illa, non veræ pietatis &
iustitiæ cultores efficiet. Quid vero si bonis præteri-
tis pessimi delignantur? Non loquor de athiopibus
qui ex forma corporum, re fallace & fluxa regem sibi
perficiant; nec alii qui mole, & magnitudine cor-
porū eam dignitatem æstimant; eos enim facile est
ridere, quemadmodum & auruncanos Peruuia po-
pulos, qui pluribus graue lignum humero impone-
bant, qui diutius illud antequam succumberet, baiu-
lasser, rex conclamabatur. Nos tamen barbarorum
irrisores hæc, & scœdiora in cultissimis populis cerni-
mus. Romulum fratricidam elegere Quirites; om-
nes latrones, & qui asylo supplicium euaderent.
Illo mortuo Sabinis Numam magum, atque impo-
storem accersierunt. In Tullo Hostilio species for-
titudinis fuit, facta latronis, cum nullo iure moueret
resides in arma viros. Ancus hominum sui tempo-
ris ambitiosissimus arte regnum accepit Priscus quo-
que Græcis artibus rusticano populo imposuit. Ser-
uius, vere seruus, dolo regnum obtinuit, eum Tar-
quinius interemit. Septem fuere reges, Romul⁹ mu-
tatus est in tyrannum, & à senatu dilaceratus est. Nu-
ma simulatione pietatis occupauit imperium. Tul-
lus tyrannice administravit. Priscus prestigii sese
ingessit, Seruius fraude muliebri, Tarquinius cæde
foceri: Ecce hæc considera, & virtuti fac spem ho-
noris. Vide Claudium vnus militis clamore in ca-
stra sublatum imperare, Othonem paucis nummul-
is mundi imperium emere, Vitellium Ionus deligit,
& militum stupor sequitur. Probus, dum com-
mendatur exercitui, ut fortem, clementem, probum
imperatorem nominent, nominis prærogatiua fit
Augustus. Regillianus ex nomine, Proculus ex lu-
do, orbi imponuntur prædones potius, quam prin-
cipes.

Minima re
multa tene-
re Impera-
tores facti
sunt.

§. 20. Quod loco quarto dicitur ex adulatione
successionem ortam, id supra refutauimus, cum ostendi
antiquissimam eam esse, & in Dei populo etiam ap-
probatam. At sæpe puer tanto oneri impar purpu-
ram induet. Rarum id erit, sed tamen, & Salomon
puer erat, fratres viros habebat, cum eius pruden-
tiam totus Israel miraretur; & pueritia regum, ma-
trum, tutorum, agnatorum prudentia regi potest,
Ioas etiam puer fecit rectum coram domino, cunctis diebus,
quibus docuit eum locada sacerdos. Ipsius Neronis quin-
quennium multos bonos principes, Seneca, & Bur-
rho ductoribus superauit. Imperare possunt & pue-
ri, sed adminiculo & ductu senum. Puer erat Theo-
dosius iunior, sed quis principum pueri gubernatio-
nem æquauit? Periculum ætatis reformido, & Deum
audio dicentem: *veterræ cuius rex puer est.* Sed Bania,
Ioiadas, Senecas, Barrios, Pulcherias fulciendæ in-
firmitati adiungo. Quocirca non simpliciter tene-
ram ætatem rejicit scriptura, sed duabus rebus terræ
infelicitatem metitur, nempe, *si rex puer est & princi-
pes mane comedunt.* Si enim adoleſcentiæ in ludicra, &
delicias procliui, principes voluptarios, illecebra-
rumque artifices apponas, nā illam ipsa salus seruari
non possit.

Puer impe-
rare potest,
sed sapien-
tia senum
regendus
est.

§. 21. Septimum erat, æquum esse, ut omnibus
imperaturus, ab omnibus eligatur. Plebeium hæc

est, & ut loqui solet Aristoteles ἀρχή. Sumptum est
ex declamationibus tribunitiis, nunc legibus, vsu,
ratione, atque ipsa reipublicæ utilitate refutatum.
Nullum esse populum qui principem totus eligat,
nisi forte inter Peruenos, Canibales, aut vagos Æ-
thiopes, certo constat; neque vnquam illi ἀρχή
recte cessit. Atque hæc generatim ita esse pronun-
cio, non enim principes optimos è plebe lectos, Sar-
danapalis, & Porphyrogenitis pestibus postponen-
dos vnquam duxi. Alioquin est nobilitati quadam
indoles ad magna, & si poliatur, honesta. Effigies
maiorum in tabulario vident, ut imitentur. Ma-
gnum ad virtutem est incitamentum, & pater Æneas,
& auunculus Hector. Generose Euryp.

ὅτι τὸς δὲ πατρὶν καλλίον γέγες,
ἢ πατρὸς ἐδὴν καὶ ἀγαθὸν πεποιμέναι.

Nullum pulchrius decus filiis, quam bono ac ho-
nesto patre ortos esse. Sed ita tamen, ut non minus
virtutis sit, quam sanguinis progenies; alioqui ma-
gnitudo patris filium non producit, sed obruit. Fal-
sum est, & inuidiosum, sed pronis vulgi auribus ac-
ceptum, quod ait Spartianus: Neminem fere magno-
rum virorum, optimum & vtilem filium reliquisse. Plerosq;
tales, ut melius fuerit sine posteritate discedere. Falsum; parentum
multi bonos, multi mediocres reliquerunt, multi erro-
re, multi neglectu educationis corruerunt, non-
nulli sponte. Heliogabalus monstrum imperii. Si ha-
buero, inquit, heredem, dabo illi tutorem, qui illum hæc fa-
cere cogat, quæ ipse feci, quæque facturus sum. Culpa ergo
patrum frequenter est, sæpe filiorum prauitas omni-
bus educandi laboribus est contumax.

Multorum
bonorum
parentum
boni filij.

CAPVT XXVI.

Fæminarum imperia, sed raro admittenda.

§. 1. FŒMINAM imperium in viros tenere nisi
singulari in periculo, aut heroica virtute vi-
ris ipsius fœmina exemplo sit, æquum non iudico.
Non tamen iniuria, & contumelia sexus, à Republi-
ca rejiciuntur fœminæ, sed quia infirmiores sunt;
Consilium mulieris est inualidum, pueri imperfectum, ait
Aristoteles lib. 1. polit. In matrem suam sunt iniu-
rioli, qui fœminas omnes malas, omnes in eodem
ludo edoctas ad malitiam clamant. Non mirum in
eum sexum omnes dicere, qui à nullo defenditur.
Politico more rem pensamus, & humano. Acerbum
est enim quod procax fœminarum infector ait:

Τυράννης τις μὲν ἐστὶ ἀνὴρ ἀνὴρ τῆς
κακῶν δὲ πάντων τῶν κακῶν οὐκ ἔστι.
Mulieres quidem sumus ad bona ineptissima,
Ad mala vero omnia artifices callidissime.

Mulieres si-
ne graui
causa non
regnent.

Irrisores
infirmi se-
xus à politi-
co rejicien-
di.

§. 2. Primo quidem naturalis est fœminarum im-
becillitas; viri, quia fortes & ambidextri sunt, rege-
re possunt, & regi, at fœminæ reguntur duntaxat, vi-
ris enim subditæ sunt. Et verum aiunt, quod Hip-
pocrates aph. sect. 7. c. 44. docet. γυνὴ ἀμειδίξι· οὐ
ζῶνται; Fœmina ambidextra non fit. Id quoque Plin.
lib. 7. c. 17. Hanc naturæ infirmitatem consiliorum
quoque imbecillitas consequitur. Sane legibus Ro-
manis tutor, & curator illis datur, quamuis valde
adultis, imo post mariti mortem. Cicero pro Flac-
co: Non licere mulieribus, sine tutorum, & procurato-
rū consilio quicquam agere. & Pro A. Cæcinnæ, Quod mu-
lier sine tutore auctore promiserit, non deberi. Et pro L.
Murena. Mulieres omnes propter infirmitatem consilij, ma-
iores in tutorum esse potestate voluerunt. Athenis, nego-
ciationis illis modus lege præſcribebatur, is autem
sex hordei modis definiebatur. Hoc quoque ad
Romanos translatus videtur, Maiores nostri (inquit
Cato lib. 4. bell. Maced.) ne priuatam quidem rem agere
fœminas sine auctore voluerunt. Multo magis igitur
ſceptis

Nulla fœ-
mina am-
bidextra.

sceptis arcendæ sunt. Iudicii ille & prudentiæ defectus est, ex quo voluntatis quædam oritur instantia, & in lapsum procliuat, affectuumque impotentia. Itaque nec auctoritatem habent, nec exequi sine aliis pleraque possunt, loqui etiam in publico non conueniunt.

Τὸν αὐτὸν ἢ τὸν ἄλλο.

Mulieris ornatus est silentium.

Barbari seu in feminas.

§. 3. Has ob causas Parthi, & Thraces mancipiorum instar mulieres tractabant, mitius Lydi, & Numidæ, apud quos domi fœminæ, foris viri imperabant. Mitius, non recte tamen, naturæ ac rationi conuenientius Romulicæ, qua vxor pudica, & marito morigera, erat familiæ domina, æque vt vir. Nam cum fœmina viro sit addita, dictumque sit, sub viri potestate eris, cum vere canat Lucretius lib. 5.

Longe præstat in arte,

Et solertius est multo genus omne virile.

Iniqui barbari in feminas.

Æquitas eiusdem naturæ paria iura desiderat, vt vir more patrisfamilias, non aupertate domini imperet. Ingrati in naturam sunt, qui eas ex quibus cum dolore nati sunt, quarum lacte enutriti in seruorum conditionem deiciunt, quas, ne seruirent, etiam periculo capitis in libertatem asserere oporteret. Quod si ideo, quia ignobilior est earum, quam virorum natura, libertatis locietate priuanda sunt, τὸ γένος δ' ἀνθρώπων νικᾶται ὡς τὸ πρῶτον, ὡς γένος ἐστίν. Nam quod deterius est, vinci ab eo, quod melius est necesse est, vbi melius est. Viros quoque vitiis, viribus, mente debiles capite minuamus, & ergastulis mancipemus. Sunt enim mulieres multæ multis viris ad multa præstantiores, vt Plato l. 5. de Rep. Mulierum igitur est non minus libertas, ius in familiam, & honor defendendus, quam pudicitia, quam fama. Nam etiam lex Christiana, vt vasculis infirmioribus abundantiorum honorem circumdari iubet, 1. Cor. 12. 23. Sed eatenus vt sociæ sint, & administræ, non dominantur. Apud Achæos quidem dominium erat, & negotiorum tractatio penes fœminas residebat, vnde & apud Hom. Iliad. 6. per contumeliam vocantur, Ἀχαιῶν δὲ ἐν ἀρχῇ, Achæides, non amplius Achii. Lycios etiam mulieribus imperiis obnoxios fuisse historie tradunt. Et quod doleam, de Germanis inuictis Tacitus. Fœmina dominatur: in tantum non modo à libertate, sed etiam à seruitute degenerant. Romæ summa contumeliæ erat viuere vitam Achæicam, verissime enim Plutarchus: ἡ πόλις ἀρχομένη τῶν γυναικῶν ἐκείνη, Naturæ præuaricatio est, à muliere gubernari.

Fœmina nec seruiat, nec regnet.

§. 4. Medium itaque viam probo. Fœmina & serui eodem loco ne habeantur, vt sit apud Barbaros teste Aristotele. Nec in eos ius necis habeat maritus, vt apud Gallos, vt docet Cæsar l. 6. multo minus vendantur vetulæ, vel laboribus opprimantur, aut viuæ etiam sepeliantur, vt fieri solebat apud Barbarorum immanissimos, Parthos, & Thraces. E contrario nollem ad illas imperium humana lege deferri, nisi magna ratio id exigat, si enim maritus parere fœminam honestam oportet, qui conuenit, vt exercitibus, & regnis imperet? Vir famosus redditur, si vxori pareat, vxor infamis, si viro imperat.

Non omne dominium fœminæ negandum.

§. 5. Magnū hoc est contra fœminarum sceptra præiudicium, non tamen iudicium, quo omnis illis gubernandi potestas, ac ius abdicetur. Quamquam enim maritus parere leges iubeant, familie tamen, hoc est ancillarum, & seruorum domina est, & in vrbes ac ditiones suas ius retinent fœminæ illustres.

Iusta & vtilis gubernatio matris pro filiis heredibus.

§. 6. Legitimum igitur fœminæ imperium esse consensio, & vile Republicæ, cum marito defuncto hæredes sunt liberi, minore ætate, quam vt imperium administrare possint, tum cum tutoribus matre in non ad consortium tantum regni, sed etiam prætoribus cum præcipua auctoritate educandi filii, &

gubernandi admittendam existimo. Est enim materfamilias, & cura prolis negari illi non debet, illa vero annexam habet curam hæreditatis, hoc est regni, nec sufficit materna auctoritas regendo filio, filique ministris, nisi etiam illi constet iusta in regno potestas. Deinde magna pericula infantem regem circumstant, & eius ætate multi ad iniuriam vtuntur, multi res nouas moliuntur, qua in necessitate nemo, matre sagacior, nemo filio fidelior, præsertim cum filii periculum matrem quoque tracturum sit. Atque hoc vltus habet nobilissimorum regnorum. Gallia fœminas regni hæredes esse non sinit, nec fere vlla pars Germaniæ, Regina tamen matres, & principes matronæ in Germania filiorum amantissimæ tutrices, & adiutrices præcipuo semper in honore habentur, & de publicis negotiis consuluntur, idque prudentissime fieri multas ob causas arbitror. Nam primo diuinæ legis scitum est, filius vt matrem honoret, adire igitur, consilium querere, in rerum communicationem admittere consentaneū est coniunctioni, & obligationi naturali, cui enim princeps fides, si matri, cuius dolore natus est, cuius ab vberibus pependit, cuius salus filii incolumitate nititur, non fides? Deinde nulli administratorum vtile est, matrem à rerum administratione separari, iam princeps adolefcet, auctores alienationis agnoscat, ministros vel fastidiet, vel certe in aliquo errore deprehensos abijciat, nec deerunt inter multos errata, & si illa desint, non tamen delationes effugient, interim mater filio reconciliabitur, ipsi inconsulte temeritatis pœnas dabunt. Quod si matrem principis consciam, & auctorem negotiorum habeant, non erit difficilis tali commendatrice ratio, nec in delicto, tali deprecatrice venia. Omnibus igitur expedit, matribus principum auctoritatem manere.

Cui fides, si non matri.

Matrem honorare præcipue debet princeps.

Periculosum est ministris principis matrem offendere.

§. 7. Secundo, Fœminæ imperium probo, cum secundum regni leges ipsa hæres est. Si enim fœminæ villa, si castrum eripi non debet, quia fœmina est; nec igitur regnum, nisi regni legibus à sceptro sexus inferior arceatur. Hac tamen lege, vt patria consentiente, aut non obfistente in leges, domumque mariti veniat; interea ipsa Rempublicam gerat. In quo duo seruanda, patriæ utilitas, & religionis integritas ostendunt. Primo, ne ipsa sponsum patriæ ingratum, aut suspectum amet; deinde ne patriæ odium hæredi obtudat, sed mutuo consensu, & bonum maritum, & bonum principem deligant. Hac ratione Hispaniæ, in tantam magnitudinem creuerunt, & optimus poeta Romanam maiestatem à dotali regno inchoat, cum sola tantus serualet filia sedes. Sed hoc fœminæ regnum breue esse oportet, nam multi solent esse competitores, cum vxor tantam dotem trahit, nonnulli etiam eo impudentiæ progrediuntur, vt bello, & sanguine nuptias adornent. Pleraque enim bella, quæ cum Carolo Geldriæ duce Franciscus Galliarum rex gessit, quamquam alia cause prætexerentur, eo tendebant, vt Carolus sibi à Gallie principibus generum adscisceret, adeo vt interdum rex ipse, & Carolus veram, & intimam belli causam ignorarent, vt Comminæus prudentissimus regum consiliarius scriptum reliquit.

Cum fœminæ hæres est, sponsum vtilem patriæ deligat.

§. 8. Tertio, si spectata constantia, pietate prudentia sit matrona, regio genere, habens studia vulgi, & procerum, præsertim, si alioqui seditiones, & indignorum promotiones timeantur. Pulcheria sane viuo fratre Rempublicam seruauit, & mortuo egregie vindicauit, vocato in consortium Marciano viro forti æque, & iusto.

Fœminarū heroica virtus interdu vires vincit.

§. 9. Quæ scelera fœminarum in administrandis imperiis politici enumerant, minus causæ habent, vt omnibus Republica interdiciamus. Impia fuit Iesabel, Athalia crudelis. Laodice Cappadocis coniux

*Femina
scelerata.*

sex filiorum ex se natorum interfectis, multo quam Medea scior. Cleopatra luxuriosa, & in fratrem immanis. Messalina, & Faustina, & Fredegundis monstra scortorum, hæc enim regie femina adducuntur. Sed eo si argumeto vitur, ne viros quidem imperare ius ducemus, plures & plura illi peccarunt. Pro vna Iezabele oppono cum omnibus regibus Israel apostatis Achabum, pro Athalia Abimelec qui omnes fratres suos viros septuaginta occidit super lapidem vnum. Indignantur Laodice in filios sciam fuisse, faciunt id Turca quotidie, non enim ignorant legem, & consuetudinem, qua vni imperium, aliis mortem decernunt. Messalinam, Faustinam, Fredegundem imperasse negamus, scorta potentia, & venefice fure, & viris administris vsa sunt haud se melioribus. Messalinam Nero, Faustinam Commodus filius superauit. Nos certe egregias heroinas recensere possumus, & supra virile robur constantes in medium producere.

*Exempla
Heroinarum.*

Prima est Iahel vxor Haber Cinsai, benedicta in tabernaculo suo, aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit buryum. Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Siseram, quaerens in capite vulneri locum. Altera Debora que iudicabat populum, nam ascendebat ad eam omnis Israel in omne iudicium. Iud. 4. 5. Surge, surge Debora, surge, surge & loquere canticum, saluata sunt reliqua populi, dominus in fortibus dimicauit. Duces Issachar fure cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceptis ac barathrum se discrimini dedit. Ego ne quidem mulierem illam sapientem à regno excluderem, quæ grauissimam seditionem eloquio suo composuit, 2. Reg. 20. Egressa est enim ad populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Sebs filij Bochri proiecerunt ad Ioab. Plus illa præstitit, quam victoria ipsa, quam fortissimus exercitus Davidis. Iudith quoque & Hestheris historiae notæ sunt, ad alias propero, Alexandri matrem Mameam, Placidiam, Pulcheriam, denique Mathildem quæ quanquam impari potentia, summa tamen constantia, fide, pietate, prudentia contra reges potentissimos Italiam, Ecclesiamque defendit. Addo illis Isabellam Ferdinandi vxorem, Irenem Augustam. Inprimis Libussa Bohemorum regina, cuius imperium quietum, iustum, forte. Deinde non socordia aut tyrannide, sed rectum iudicium populo faciens regnum amisit, vt refert Aeneas Syluius. Contendebant coram eo duo ex optimatibus de possessione agrorum: sententia ex bono & aequo dicta: potentior humiliori damnatur. Ille tanquam iniuria esset, potentior in iudicio succumbere, populares appellans, inducorum esse indignumque ait, tantum populum, tot proceres, tantum imperium, vnius femina subesse arbitrio. Ad cuius vocem excitata multitudo, muliebri regimen accusare, vicinarum gentium mores in medium adducere, virum qui sibi dominetur expetere. Libussa, indito silentio, desiderium se populi animaduertisse dicit, neque se illos eo frustraturam, imperium subditis, non sibi, post patris obitum tenuisse. Iubet ad diem posterum redeant. Obtemperatum est, itum atque reuentum. Libussa in concione vbi adesse multitudinem vidit, Ego vobis, inquit, Bohemi in hanc vsque diem, placide, molliterque, vt mulieribus mos est, imperavi: nullum quod suum esset eripui: nullum læsi. Matrem experti estis, non dominam. At vobis mei regimen in-

*Libussa
mater sub-
ditorum non
domina.*

gratum. More humani ingenij mecum agitis. Nihil diu placet homini. Pium, iustumque principem desiderant populi magis, quam ferunt. Estote ergo iudicatu meo liberi: virum qui vobis præsit, quique suo arbitratu capita vestra iudicet, sicut optastis dabo. Ite, albicantem equum meum sternite, atque in campo late patentem, adducite, liberum effrenemque ibi dimitte: sequentes eum quocunque ierit. Currat equus aliquam diu, denique ante virum subsistet, in mensa ferrea comedentem: ille mihi coniunx erit, vobis princeps. Gratus sermo concioni fuit. Emissus equus decem millia passuum percurrit. Postremo ad flumen Bieli ante aratorem consistit, nomine Primislaus. Secuti proceres popularesque postquam stantem equum, & aratori blandientem adulantemque viderunt, accedentes propius, salue, inquirunt, bone vir, quem nobis superi dederunt principem, solite boues, atque ascenso equo nobiscum venito. Libussa te virum, Bohemia ducem poscit. Primislaus, quamuis agrestis, nuncios benigne excipit, facturumque postulata respondit. Ita breuissime ex Syluius vir doctissimus.

Quod si non dum placet eorum ratio, qui feminas quoque in spem regni, hæreditatemque admittunt, sane audiant, alia multa haud penitenda regna. Semiramis Babylonem auxit, Themyris imperii fines late propagauit, & quod insigne est decus, Cyrum occisum sanguine exaltauit. Rhodogune patriam vindicauit, & eius virtute delectati Persarum reges, Rhodogunes imagine, disiectis capillis ac ventitantibus attonitæ signabant. Audita enim suorum defectione, cum lauaret, non abstergis capillis contra rebelles profecta, iurando etiam se obstrinxit, non loturam capillos, nisi victoria de hostibus reportata. Zarina Sacarum regina prudentia, clementia, gentem suam ad mitiorem, ac humaniorem cultum adduxit, multas vrbes condidit, tantaque fuit inter suos gloria vt à Medis ad eam Parthi defecerint, insigni muliebris imperii commendatione; nam eius iustitiam, humanitatemque præferebant Medorum insolentia, & tantas in femina esse vires putabant, vt ab ea contra veteres dominos defendi se posse non dubitarent. Quanta virtute Blanca Francia regina, Diui Ludouici mater, & regnum administravit, & filium educavit? Margarita Angliæ Regina, vxor Henrici sexti, marito quietis studio, animum ab Republica abducente, pace & bello par magnis regibus omnia administravit; Henricum ab coniuratis captum, bello in libertatem restituit, eiecta regno animo indefatigato ter illud classe repetiuit. Poloni fortissimi populorum Vende heroinæ imperium detulere; illa cum diceret: Malle se principem, quam principis vxorem esse, cælebs vixit, de Marcomannis triumphauit. Quis ferocior, quis fastuosior populus, quam Longobardi? illi tamen mortuo Anthari cum de successore, vt fit, in factiones iretur, seditioque & intestinum bellum glisceret, imperium Theodelindæ Bauaræ Antharis vxori detulere, ea lege, vt quem maritum illa coopasseret, illum quoque regem gens vniuersa veneraretur, ita factum Agilulfum nominauit, & ab eius imperio gens illa cultior ac humanior esse cepit. Atque hæc de primis Reipublicæ causis, efficiente, materia forma, nunc de fine aga-

mas.



POLI-